

pisces in lacum transnataant. Fertur autem & cursu  
 & colore dissimilis: transuectusq; occurrente Tauro  
 mōte in specu mergitur: subterq; lapsus, à latere alte-  
 ro eius erūpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem esse  
 manifestū est, quod demersa perfert. Alterum deinde  
 trāsīt lacū, qui Thospites appellatur, rursusq; in cuni-  
 culos mergitur, et post xxv. M. pass. circa Nymphæū  
 redditur. Tam vicinū Arsaniae fluere eum in regione  
 Arbene Claudius Cæsar autor est, ut cum intumueret,  
 confluant, nec tamen miscēatur, leniorq; Arsania in  
 natat iij. M. ferme spatio: mox diuisus in Euphratem  
 mergitur. Tigris autem ex Armenia acceptis flumi-  
 nibus clavis, Partheni, Agnice, Pharione, Arabas  
 Orios Adiabenosq; determinans, & quam diximus  
 Mesopotamiā faciēs, lustratis mōtibus Gordyæorum  
 circa Apamiam Mesenes oppidū, citra Seleuciam Ba-  
 byloniā. cxxv. M. passū, diuisus ī alueos duos, altero  
 meridie ac Seleuciā petit, Mesenen perfundēs: altero  
 ad septentrionem flexus, eiusdem gentis tergo campos  
 Cauchas secat. *K*bi remeauerit aquæ, Pasitigris appel-  
 latur. Postea recipit ex Media Choaspē: atq; (ut dixi-  
 mus) inter Seleuciā & Ctesiphontem reclusus, in lacus  
 Chaldaicos se fundit, eosq; lxx. M. pass. amplitudine  
 implet. Mox vasto alueo profusus, dextra Characis  
 oppidi inferitur mari Persico decumo ore. Inter duorū  
 annuum ostia xxv. M. passuum fuere, aut (ut alij tra-  
 dunt) vij. M. utroq; navigabili. Sed longo tēpore Eu-  
 phratem præclusere Orcheni, & accolæ agros rigantes,  
 nec nisi per Tigrin desertur in mare. Proxima Ti-  
 gri regio Parapotamia appellatur. In ea dictū est de  
 Mesene. Oppidum eius Dibatach. Iungitur Chalonitis  
 cum Ctesiphonte, non palmetis modo, verum & olea  
 pomisq; alijsq; arbutis nobilis. Ad eam peruenit Za-  
 grus mons, ex Armenia inter Medos Adiabenosque  
 veniens, supra Paratacenem & Persidem. Chalonitis  
 abest à Perside ccccl. xxx. M. pass. Tantum à Caspio  
 mari Assyriam abesse compedio itinerum aliqui tra-  
 dunt. Inter has gentes atq; Mesenen Sittacene est, ea-  
 dem Arbelitis & Palestine dicta. Oppidū eius Sitace  
 Græcorum ab ortu est, & Sabata. Ab occasu autem  
 Antiochia, inter duo flumina Tigrin & Tornadotū.  
 Item Apamia, cui nomen Antiochus matris suæ im-  
 posuit, Tigris circumfunditur. Hæc diuiditur Ar-  
 choo. Infra est Susiane, in qua vetus regia Persarum  
 Susa à Dario Hystaspis filio condita: abest à Seleuciā  
 Babylonia ccccl. M. pass. tantundē ab Ecbatanis Me-  
 dorum per montem Charbanū. In septentrionali Ti-  
 gris alueo oppidū ē Babytace. Abest à Susis cxxxv.  
 M. pass. Ibi mortalium soli aurum in odio cōtrahunt:  
 Id defodiunt, ne quo cui sit in usu. Susianis ad orientē  
 versus iunguntur Cosæ latrones, & Mizæorum xl.  
 populi liberæ feritatis. Cupra eos patent Parthusi,  
 Mardi, & Saitæ, Hyi, qui p̄tenduntur supra Elymaida,  
 quā Persidi in ora iunximus. Susa à Persico mari ab-  
 sunt ccl. M. passū. Qua subiit ad eā classis Alexandri  
 Pasitigris, vicus ad lacum Chaldaicū vocatur Aphle,

unde Susa navigatione lxxv. M. d. pass. absunt. Susianis  
 ab oriente proximi sunt Chosiei: supra Chosieos ad se-  
 ptentrionem Mesobotene sub mōte Cambalido, qui est  
 Caucaſi ramus, inde molliſſimo transitu in Bactros.  
 Susianen ab Elymaide determinat annis Eulæus, or-  
 tus in Medis: medioq; spatio cuniculo cōditus, ac rur-  
 sus exortus & per Mesobotenē lapsus, circuit arcem  
 Susorum ac Dianæ tēplum augustiſſimū illis gētibus,  
 & ipse in magna ceremonia. Siquidē reges nō ex alio  
 bibunt, & ob id in longinqua portāt. Recipit annem  
 Hedypnum, præter. Asylum Persarum venientem, &  
 vñ ex Susianis oppidū iuxta eū Magoa, à Charace  
 xv. M. passū. Quidā hoc in extrema Susiana ponunt  
 solitudinibus proximū. Infra Eulæū Elymais est, ī ora  
 iuncta Persidi, à flumine Oroati ad Characē ccl. M.  
 pass. Oppida eius Seleucia & Sosirate, apposita monti  
 Casyro. Oram quæ præiacet, minorum Syrtiū vice di-  
 ximus inaccessam cæno, plurimum limi deferentibus  
 Brixia & Ortacea annibus: madente & ipsa Ely-  
 maide in tantū, ut nullus sit nisi circuitu eius ad Per-  
 sidem aditus. Infestatur & serpentibus, quos flumina  
 deportant. Pars eius maxime iniua, Characene vocat-  
 tur ab oppido Arabiæ claudente regna, de quo dice-  
 mus exposita prius M. Agrippæ sententia. Nanq; is  
 Mediam & Parthiam, & Persidem ab oriente Indo,  
 ab occidente Tigri, à septentrione Tauro, Caucaſo, à  
 meridie rubro mari terminatas, patere in longitudi-  
 nem xiiij. xx. M. pass. in latitudinem d. cccxl. prodidit.  
 Præterea per se Mesopotamiam ab oriente Tigri, ab  
 occasu Euphrate, à septentrione Tauro, à meridie ma-  
 ri Persico inclusam, longitudine octingētorū M. pass.  
 latitudine cclx. Charax oppidum Persici sinus inti-  
 mum, à quo Arabia Eudemō cognominata excurrit,  
 habitat in colle manu facto inter confluentes, dextra  
 Tigrin, lxxv. M. pass. laxitate. Cōditum est  
 primū ab Alexandro magno: qui colonis ex vrbe regia  
 Durine (quæ tū interijt) deductis, militūq; inuilibus  
 ibi relictis, Alexandriā appellari iusserat: pagūq; Pel-  
 leū, à patria sua, quæ proprie Macedonū fecerat. Flu-  
 mina id oppidū expugnauere. Postea Antiochus re-  
 stituit, quintus regū, et suo nomine appellauit. Iterūq;  
 infestatum Pasines Sogdonaci filius, rex finitimorum  
 Arabū, quem Iuba satrapen Antiochi fuisse falso tra-  
 dit, oppositis molibus restituit: nomēq; suū dedit, emu-  
 nito situ iuxta in longitudinē iij. M. pass. in latitudinē  
 paulo minus. Primo fuit à littore stadys x. maritimū,  
 etiā inde pseudo porticus habet: Iuba vero prodēte l.  
 M. pass. Nūc abesse à littore cxx. M. legati Arabū no-  
 striq; negotiatores, qui idē venere, affirmāt. Nec vlla  
 in parte plus aut celerius profecere terræ fluminibus  
 inuectæ. Magis id mirū est, estu lōge ultra id acceden-  
 te non repercussas. Hoc in loco gēitum esse Dionysiū,  
 terrarum orbis situs recentissimum autorem constat,  
 quem ad commentanda omnia in orientem præmisit  
 diuus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas  
 Arabicasq; res maiore filio. Nō me præteritis nec sum  
 oblitus,